



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 22. In obedientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

cupiditatem, ut melius habere possit. Sed frustra: locus enim cupiditatem non minuit, nec internas passiones animi eruit; sed potius exulcerat. Cornelius hic.

Inventus à quodam lapis quadratus, in cuius parte superiori scriptum: *latus meum doleo; ideo verti volo.* Vertit in omne latus, & eadem verba. Sic non indifferentes scribunt: mitte me huc, nullibi illis bene. Brogmard. sum. prædic. Inconstantia.

Num. 5.

Periculosa propria electio.

Est civitas hæc iuxta, ad quam possum fugere; & salvabor in ea. Gen. 19. 20. 30. Angelus annuit petitis: At ille urbem ingressus, non se tutum putans; nè & illi, quod Sodoma, eveniret, *ascendit de Sogor, & mansit in monte.* v. 30. In quo ostenditur; nos non posse securitatem invenire in eo loco, ubi nos cogitamus; sed in eo, in quem nos Deus per superiores dirigit, & ire præcipit. Diez. Obed. mandator. Dei. Videmus malè cessisse Loth electionem suam, qui iustus montem conscendere, elegit civitatem. Sic ruunt, qui contra Dei verbum proprio suo sensu, bonà etiam intentione sese regere præsumunt. Lipoman. apud Bæzam t. 2. l. 6. c. 4. §. 1. qui addit: ut securissimus est locus, ad quem me Deus vocat, & trahit iussione suâ; sic suspecta sint tibi omnia loca, & munia, ad quæ voluntate tuâ trahis Deum ipsum. Bene timuit Loth locum illum, quem ipse sibi arbitrato suo elegerat; & prudenter majorem sibi promittit securitatem in monte, ad quem se recipere iustus erat à Deo.

Assumpsit eum diabolus in mentem excelsum valde. Matth. 4. 8. Ut locus esset occasio consentiendi tentationi: sciens, ex mutatione locorum, frequenter mutari affectum. Dionys. Carthuf. hic. Angeli, dum in celo resident, in quo creati sunt à Deo; in gratia, & sanitate, se exercent: at verò cum affectarunt exaltare solium suum super astra Dei, & sedere in monte testamenti II. 14. 13. in Infernum ceciderunt. Sylveira hic. q. 24.

Num. 6.

Indifferentie varia motiva.

Invenit in ipso anno (sterilitatis) centuplum. Gen. 26. 12. Unde patet, hanc totam messem non per rationem non per agrorum fertilitatem; sed per miraculum Dei beneficio obtigisse Isaac: ut ex uno modico à se seminato meteret centum modios. Nota: Isaac, quia Deo iubente. v. 2. mansit in Geraris, hinc ibi à Deo locupletatus est: ita ubicunque quis manserit Dei voluntate; ibi à Deo benedicetur, & prosperabitur. Cornelius hic.

Conside in Deo, & mane in loco tuo. Eccl. 11. 22. Hoc dici potest Religiosis sollicitè procurantibus mutationem. Cornelius in Eccl. 10. 4.

Pasce populum tuum in virga tua in medio Carmeli. Michæ 7. 14. Orat Deum Mi-

chaas, ut virgâ suâ pastorali, id est, providentiâ suâ paternâ, pascat, regatque Judæos. *In medio Carmeli.* q. d. quasi in horrido, & spinoso saltu ita in Babylone consentios pasce ita securè, & largiter; ac si essent in Carmelo patrio, herbido: fac ut Babylone eis sit Carmelus; sicut fecisti, ut tribus pueris fornax Babylonia esset hortus, imò paradysus. Dan. 3. 50. Cornelius in Michæam hic.

Nihil interest, ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis. Tertull. l. ad M. M.

Quisque veltrum, ubicunque est, se primum, deinde alios, juvare studeat; inducatque in animum: nusquam se melius, quam ubi à Præposito constitutus sit, operam Deo navare posse. Et simul confidite, Deum, ubi tempus fuerit, hanc ius, qui præfunt, mentem daturum; ut eos potissimum mittant, ubi vester labor fructuosissimus sit futurus. S. Xaverius l. 3. ep. 5. Societati Goam Cangoximâ.

Miscellanea.

Revertere, & dormi. Eccl. 1. Reg. 3. 6. Suspensus Heli, Samuelem vocari à Domino, jubet illum ad lectulum redire, & dormire. Quale hoc præceptum ad puerum, qui expectabat se à Deo vocandum? cur non potius monet, ut oret, vel aliud virtutis insigne opus faciat? S. Gregor. l. 2. in Reg. c. 3. redire ad fomni quietem Samuel finitur; ut profectò nec ea, quæ sunt minima, contemnamus. Bæza t. 3. l. 14. c. 12. §. 3.

Domine, ecce quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Non dicunt cum Regulo, Joan. 4. 49. *Domine descende, priusquam moriatur;* credentes, quod absens posset sanare. Nec eum Centurione. Matth. 8. 8. *tantum dico verbo;* sed modum subveniendi Christo committunt, tanquam sapientiori. Ità & nos facere par est; cum à Superioribus aliquid postulamus: videlicet, ut modum exaudiendi committamus bonitati, & discretioni eorum; nisi forte ex hoc immineret periculum. Dionysius Carthuf. hic.

Illud optimum dixerim obedientiæ gradum; cum eò animò injunctum opus recipitur, quò & præcipitur. S. Bernardus tr. de præcepto, & dispensatione.

Multum Achates prodest contra venenum, & maxime viperâ: sic etiâ vera obedientia contra inflammationem venenum superbiæ hominem fortè defensionè tuetur. Albertus M. l. de convers. S. Pauli.

§. XXII.

Inobedientia.

Num. 1.

Pœna, & damna.

Cumque cognovissent se esse nudos. Gen. 3. 7. Primus homo, postquam obediens esse desit, nudum se esse cognovit. B. Eucherius s. in deposito. S. Honorati. Simulatque Deo non obtemperaverunt, ac terra, cinis que facti sunt; simul cum beata illa vivendi ratione Virginitatis decus amiserunt: & unâ cum Deo semigravit ab eis castitas virginalis. Nam quamdiu à diaboli servi-

tute

tute liberi fuerunt, ac Dominum suum sunt veriti; fuit penes eos virginitas; quæ majori ipsis erat ornamento, quam sit diadema regibus, aut aurea vestimenta. Postea verò quam captivi fuerunt, & regiam ipsam exuerunt stolam; - tunc unà successit connubium, mortale hoc, ac servile vestimentum. S. Chrysof. lib. de virginit.

Non audierunt eum. & scaterere cepit vermicibus, atque computruit. Ex. 16. 20. Sola est inobedientia auctor mannae in vermes degenerantis, & odoris istius graviter spirantis. S. Antiochus Abb. hom. 38.

Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Num. 20. 12. Quia Moyses bis filicem percussit; cum juberetur solum loqui ad petram. v. 8. 11. Did. Nisl. f. 3. D. 2. Quadr. §. 3.

Nequaquam regnum tuum ultra consurget. 1. Reg. 13. 14. Cur Sauli inobedienti non alia poena, quam privatio regni infligitur? ratio est: qui parere nescit, indignus est imperio. Sic inobedientes in Scriptura saepe regis nomine privantur. Nam Abigail de Saule locuta. 1. Reg. 25. 29. *Si surrexerit aliquando homo persequens te.* Et. 2. Paral. 26. 18. Sacerdos Azarias sic alloquitur Oziam divinæ legis contemptorem: *non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino.* S. Ambros. f. 10. in Pf. 118. 73. ad illa verba: *manus tue Domine, fecerunt me,* locutus de homine, quem Deus rerum omnium constituit, ait: sed ut possit imperare, debet Deo esse subiectus. Mendoza in 1. Reg. 13. 13.

Iratusque est indignatione Dominus contra Oziam, & percussit eum super temerita-

te. 2. Reg. 6. 7. Dum sustinebat arcam extinctus est Oza ille Dei Levites: non quia, ut videtur, ad speciem contumaci aliquid mente commiserit; sed ipsò officio inofficiosus fuit, qui injus præsumpsit. Salvianus Ep. l. 5. de provid.

Inobedientia est causa mortis: omnes experimur, omnes morimur, propter eam. S. Bernardus f. 2. de obedientia &c.

Num. 2.

Alia motiva inobedientiam vitandi.

Sulte egisti. 1. Reg. 13. 13. Cum omnia peccata stultitiæ notam mereantur; nullum majori jure, quam peccatum inobedientiæ: qui enim suò potius iudicio ducitur, quam divinò; dum prudentiæ laudem meruisse putat, stultitiæ notam gravissimam incurrit. Mendoza hic.

Dederunt in escam meam sel. Pf. 68. 22. Qui cum murmure obediunt, felle Dominum pascunt: cibus enim Christi est obedientia opere impleta. Unde Joan. 4. 34. *meus cibus est &c.* Porus autem ejus est obedientia cordis, quam Dominus profectò sitit. Feligitur Christo in escam datur, cum sit murmuratio oris: acetum quoque ei ministratur in potum, cum sit murmuratio cordis. S. Bernardus f. de obed. Evangelica.

Si ea, quæ tibi præcipiuntur, dura sunt; nunquid murmurando illa facere poteris meliora? S. Cæsarius hom. 18.

Sicut membra judicantur paralytica, quæ non moventur ad imperium capitis; sic perversus est religiosus subditus, qui non sentit motum, & imperium, P. Spiritualis. V. Bonaventura dicit sal. c. 20. de religione.

TITULUS II. OBSERVATIO.

§. I.

Observa tua, non aliena.

Peccatum meum contra me est semper. Pf. 50. 5. S. Ambros. hic: sapiens adversum se judicat esse delictum suum, & tanquam hostiles acies ita lapsus culparum suarum, adversantium modò, sibi arbitratur obfistere. Quidquid dictum, aut lectum; in se dictum putat. q. d. de alienis peccatis nec minima mihi cura est; propria semper ob oculos versantur. Pinna in Eccl. 1. Ethol. 9. S. Gregor. in Pf. pœnit. hic. non posui supra dorsum, quod feci; non intueor alios, oblitus mei: non affecto de oculo fratris festucam ejicere, & trabem, quæ in oculo meo est, non considerare. Matth. 7. 4. apud Pinnam in Eccl. 6. Ethol. 69.

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Thren. 3. 1.

Domine non sum dignus. Matth. 8. 8. S. August. f. 6. de Verb. D. dicendo se indignum, præstitit dignum; non ut in ejus parietes, sed ut in ejus cor Christus intraret. Non ait, servus meus non est dignus, vel domus mea: de sua solum indignitate meminit. O quam necessaria

Polyant. Sacra, Tom. II.

hæc indoles hujus sæculi hominibus; ut solum suam, non alienam, inbecillitatem respiciant. Sciebat Centurio, quòd Christus ingrederetur Publicanorum, & Phariseorum, domos; tamen suam domum dicit indignam: nam justus non alienos, sed proprios, defectus considerat. Sicut & ipse, cum multò esset præstantior Senioribus Judæorum, eos misit ad Christum; se indignum ad eum veniendi testatur. Luc. 7. 6. Sylveira in Matth. 8. 8.

Nunquid ego sum Domine? Matth. 26. 22. Non quærunt, quis est iste Domine? Vident, Christum illius nomen tacere, ideo nolunt scire ultra, quam id, quod Magister manifestat: sed quisque pro quiete suæ conscientiæ affectat Domini iudiciò se immunem pronuntiare. Paulus dicit: *attende tibi;* & non aliis. Sylveira hic q. 6.

Custodientes vigilias noctis super gregem suum. Luc. 2. 8. Non alienum, de quo non requiritur ratio. Hugo C. hic.

Hic si esset Propheta, sciret utique - quia peccatrix est. Luc. 7. 39. Cur Magdalena non fecit similem discursum? hic si esset Propheta, sciret utique, quis, & qualis est iste Pharisæus?

Cc

Quia